

1971

Erection du Diocèse de Luso — (I-VII-1963)

António Brásio

Follow this and additional works at: <https://dsc.duq.edu/angolavol5>

Recommended Citation

Brásio, A. (Ed.). (1971). Erection du Diocèse de Luso. In *Angola: 1904-1967*. Pittsburgh, PA: Duquesne University Press.

This 1963 is brought to you for free and open access by the Spiritana Monumenta Historica at Duquesne Scholarship Collection. It has been accepted for inclusion in *Angola:1904-1967* by an authorized administrator of Duquesne Scholarship Collection.

ERECTION DU DIOCÈSE DE LUSO

(1-VII-1963)

SOMMAIRE — *Séparation du district de Moxico du diocèse de Silva Porto. — Erection du nouveau diocèse. — Église cathédrale et résidence épiscopale. — Séminaire diocésain.*

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Venerabilis Frater Maximilianus de Furstenberg, Archiepiscopus titulo Paltenus, idemque in Lusitania Apostolicus Nuntius, ut est de Christi religione sollicitus, id huic Apostolicae Sedi proposuit ut, nonnullius territorii ab Ecclesia Silvae Portuensis detractis, nova diocesis ibi loci in bonum et utilitatem christiani populi excitaretur. Nos autem, quos, etsi recens ad totius Ecclesiae gubernacula tractanda vocati sumus, incredibilis tamen omnibus Ecclesiarum sollicitudo urget (cfr. II Cor., 11, 28), existimantes venerabilis huius Fratris consilia nonnihil conferre ad christianae fidei in ea natione stabilitatem, post quidem venerabilis Fratris Emmanuelis Antonii Pires, sacri Silvae Portuensis Antistitis, rogatam sententiam, haec auctoritate Nostra statutimus atque iubemus.

Ad sollemnes conventiones inter S. Sedem et Lusitanam Rempublicam, die septimo mensis Maii anno MCMXL initas, atque Cal. Jun. eiusdem anni ratas habitas, a dioecesi Silvae Portuensis districtum civilem cognomine Moxico separamus, eoque novam dioecesim condidimus *Lusitanianam* appellandam; cuius quidem sedes episcopalis in urbe Luso

collocabitur, cathedra in templo B. M. V. in caelum assumptae posita, in eadem civitate.

Hanc dioecesim Luandensi Sedi suffraganeam constituimus; sacroque Praesuli, cui gubernanda committetur, onus facimus non solum Canonicorum Collegium condendi iuxta normas per alias Litteras Nostras edendas, vel, si id nequeat, consultores dioecesanos constituendi, sed etiam Seminarium saltem minus aedificandi, pueris bonae spei recipiendis, item secundum regulas iuris communis et Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

Mensam episcopalem, quam dicunt, efficient sive dos a civili auctoritate assignata, sive christiani populi collationes, sive Curiae proventus, sive denique ea bonorum pars quae ad norman can. 1500 C. I. C. novae dioecesi obveniet.

Constituta autem Lusitaniana circumscriptione, sacerdotes qui in eius territorio officium vel beneficium habeant, eidem sint adscripti tamquam proprius clerus; ceteri clerici et Seminarii tirones, ei dioecesi in qua legitime degant.

Documenta denique et acta quae dioecesim modo conditam quovis modo respiciant, ad eius Curiam Episcopalem mittantur, ibique religiose custodiantur.

Ceterum haec omnia venerabilis Frater Maximilianus de Furstenberg ad exitum deducet, vel quem ille delegaverit, factis necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem cito mittantur.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impres-

sis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Julii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.

Sig.) Iacobus Aloisius Card. Copello,

S. R. E. Cancellarius

Carolus Card. Confalonieri,

S. C. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello,

Apostolicam Cancellariam Regens

Joannes Calleri,

Proton. Apost.

Francus Hanibal Ferreti,

Pro-Decanus Prot. Ap.

(Sigillum plumbeum: † Paulus XV)

ADL — *Document original.*

AAS — Romae, 1964 (LVI) p. 483-485.